



## **De Probatis|| Sanctorvm|| Historiis**

Partim|| Ex Tomis Aloysii Lipoma-||ni, Doctissimi Episcopi, Partim Etiam||  
Ex Egregiis Manuscriptis Codicibvs, Qvarvm permultæ antehàc nunquàm  
in lucem prodière

Qvi ... Illas Omnes Complectitvr Historias, Qvæ Post Secvndam Sex  
Tomorvm Editionem ...

**Surius, Laurentius**

**Coloniae Agrippinae, 1586**

**VD16 ZV 1269**

I.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77432](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77432)

# MAIVS.

## DE SANCTO SIGISMUNDO, REGE

BVRGVNDIONVM, EX AIMONIO

lib. 2. *Historiæ Francorum* cap. 4.



**I**UNC temporis Sigismundus basilicam sanctorum Mauricij sociorumque eius magnis extruebat impensis, in loco nuncupato Agauno. Circa eundem quippe locum magnanimitatem suæ ostendit deuotionis, dum esset vir optimæ mentis, & sanctorum locupletator Ecclesiarum: Nam & prædiorum illi loco contulit copiam, & clericorum ordinem psallentium constituens, sanctæ religionis martyres propitios sibi adsciuit. Meminerat etenim, se coniugis per suasionibus deceptum vnicum amisisse filium. Quem dum illa odio prosequitur nouerca, intantum exosum fecerat patri, vt felle commotus iuberet eum puniri gladio. Nec multò post facti poenitentia ductus, secum ille reputans, quid sceleris admiserit, ad sepulcra sanctorum recurrens sapè, humique prostratus, eos ergà se clementissimos fore efflagitans rogabat, vt si quid minus perfectum, diuinæque maiestati aduersum in suis reperiretur actibus, id, eorum interuentu, iustus iudex, in hoc seculo potius, quàm in futuro puniret examine. Quam petitionem ad effectum iuxta votum peruenisse constat. Audiens quippe exercitum aduenire Francorū, instruit & ipse copiosam suorum manū, atque aduersus eos pugnaturus aciem dirigit. Congressione itaque facta, Francis acriter præliantibus, vici Burgundiones fugæ præsidio se committunt. Sigismundus verò cum tutelam sanctorum Agaunensium martyrum citato expereret cursu, à Clodomiro Francorū rege, qui eum persequebatur, captus, atque Aurelianus perductus carceri est mancipatus. Tunc beatus Auitus, qui in territorio eiusdem vrbis Abbatis fungebatur officio, rogare Clodomirum cœpit, nè tam excellentis nobilitatis, insignisque bonitatis virum neci traderet. Quod ille audire detrectans, cum in villa, cui Calumpnia nomen est, perduci, ac ibidem cum filijs capite cæsum in puteum projici iussit, de quo postmodum sublatur, atque ad Basilicam sanctorum Agaunensium deuectus martyrum, cum digno honore est sepultus. Quem sanctorum collegio Christum Dominum adnumerasse, idè non ambiguum habetur, quòd fabricitantes qui que si pro remedio animæ ipsius, salutare fideliter fecerunt offerre sacrificium, continuo ab infirmitatis suæ liberantur incommodo.

*De eodem ex Adonis Viennensis Chronico.*



**H**lodomirus & Childebertus atque Chlotarius fratres, contra Sigismundum & Gothmarum exercitum mouent. Cumque in aciem simul venissent, fugientibus Burgundionibus, Sigismundus cum ad sanctorum martyrum Agaunensium monasterium fugeret, comprehensus à Chlodomiro cum vxore & filijs suis necatur: & in puteum proiectus occultatur. Sed per reuelationem postea inde ab Abbate sanctorum martyrum leuatus, non longè ab Ecclesia eorum in monasterio, quod ipse construxit, vbi eorum corpora, scilicet Mauricij sociorumque eius sex millium sexcentorum sexaginta sex, posita sunt, honorificè sepultus est, vbi virtutibus postmodum & ipse claruit.

*Ex annalibus Boëmia.*

**C**arolus quartus Imperator amans patriæ S. Sigismundi exuuias Pragam multis prodigijs inclitas transfuexit.

IN LAV.

SURIUS

q. ber.  
Kober.  
RVIII  
5